DE
INFINITIVO GRAECO.

DISSERTATIO INAUGURALIS PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN ACADEMIA FRIDERICIANA HALENSI
CUM VITEBERGENSI CONSOCIATA

AD SUMMOS

IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE III. M. FEBR. A. MDCCCLXIII

UNA CUM SENTENTIIS CONTROVERSIS

PUBLICE DEFENDET

BERTHOLDUS DELBRÜCK

POMERANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCEPERUNT:

IOSEPHUS FOERSTEMANN, PHIL. STUD.
MAURITIUS HEYNE, PHIL. STUD.

HALIS SAXONUM.

FORMIS PLOETZIANIS.

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Perlegens ea quae et veteres et novissimi grammatici de infinitivi natura docuerunt, tantam sententiarum varietatem invenies, ut vix omnes de una eademque re locutos esse credereas. Alii enim infinitivum formam verbi primariam esse dixerunt, unde omnes modi derivandi sint, alii modum verbi esse docuerunt, alii negarunt, alii substantivum esse contendunt, Hermannus adverbium (cf. M. Schmidt. Ueber den infinitiv. Ratibor 1826. pag. 1 sq.). Quos omnes hic afferre et si possemus refutare, et propter ingentem sententiarum multitudinem fastidiorum neque ad ea quae hic appetimus utile esse judicamus. Verum id solum operae pretium duximus, ut causam explicemus, cur tot unius rei definitiones a viris doctis prolatae sint. Atque videntur nobis, quamvis omnes illi idem verbum, multi tamen res diversissimas definire voluisse. Alii enim infinitivi qualis nunc est in nostra lingua logicam, alii qualis in linguae primordiis fuit definitionem etymologicam proposuerunt, quae cur diversissimae sint inter se, facile est intellectu. Ne igitur in eundem hunc errorem incidamus, id ante omnia observandum est, ut naturam infinitivi etymologicam et logicam bene discernamus, neve diversa miscendo omnia turbemus. Incipiamus ut par est ab etymologia. Nam priusquam philosopheris, habeas de quo philosophari possis necesse est.

I. PARS ETYMOLOGICA.

§. 1. *De etymologia variarum infinitivi formarum.*

Terminationes infinitivi in lingua graeca inveniuntur hae: -*μεναι* sive -*εμεναι*, -*μεν* sive -*εμεν*, -*ναι* sive -*εναι*, -*ν*, -*ην*, -*εν*, -*ειν*, -*σαι*, -*σθαι* sive -*εσθαι*, quas nos deinceps explicare studebimus.

Ac de forma in -μεναι quidem non magna est altercatio. Constat enim inter eos viros doctos, qui grammaticae comparativae linguarum indogermanicarum operam dederunt, infinitivum in -μεναι esse casum substantivi abstracti, cujus suffixum in participio quoque medii et quibusdam aliis substantivis formandis usurpatur (cf. Bopp. Vgl. Gr. III. pag. 324 sq.) Nec minus de genere et numero consensus est. Apparet enim -αι esse terminationem singularis feminini generis. Sed de casu dubitare possumus. Aut enim is dativus aut locativus esse potest. Nos, cum hanc quaestionem de dativo singularis et intricatam et a multis uberrime tractatam hic retractare nolimus, omnibus perpensis Schleicherum sequimur, qui in libro nuper edito (Compendium der vgl. Gr.) dativo terminationem η, locativo terminationem αι vindicavit (pag. 460 sq.).

Itaque est infinitivus in μεναι locativus singularis substantivi abstracti feminini generis.

Hanc formam in -μεναι nonnulli, e. g. Bopp et Ahrens omnium aliarum quasi proavam esse sibi persuaserunt, unde ceteras derivare liceat. Formam enim uberiorem in -μεναι in fine -αι amisissi dicunt, ita ut infinitivus in -μεν natus sit, deinde in initio -με-, ita ut infinitivus in -ναι exstiterit. Formas aeolicus doricas infinitivum in -εν alius alio modo, consonantes extrudendo, vocales contrahendo aut producendo e forma in -μεναι derivant. Quae explicatio, et sensum et formam si spectemus, habet quod alliciat. Nam ut formas idem significantes una ex origine derivemus sensus communis suadere, neve terminationes simillimas divellamus leges etymologiae vetare videntur. Sed rationi illi philosophae obstat exemplum linguarum cognatarum, praecipue sanscritae, quae octo, quoad nos scimus, suffixis ad infinitvum formandum utitur, omnibus iis unum atque idem exprimens. (dat. radicis, dat. suff. ti, dat. suff. ni, acc. suff. tu, dat. suff. tu, dat subst. neutr. in -as, dat. suff. ana, inf. in dhyâi). Restat igitur ratio grammatica, ut videtur gravissima, formas offerens quales δοῦναι et δοῦν, φῦναι et φῦν, μεθυσθῆναι et μεθύσθην (cf. Buttmann. Ausf. Gr. pag. 127.), inter quas similitudo intercedere videtur quam maxima. Sed ne haec quidem ratio omni ex parte est probanda. Notandum enim est, *nullum aliud vocabulum Graecum in fine diphthonyum* -αι *amisisse* (cf. in medio -μαι -σαι -ται -νται, μεθα ejecto ι pro sanscr. mahê). Hanc etymologiae regulam, quam in formis verbi

compluribus valere videmus, in infinitivo quoque secuti, *μεναι* et *μεν*, *ναι* et *-ν* segregare cogeremur. Putandum igitur nobis esset, *μεν* esse accusativum sing. neutr. suff. *-ma*, *εν* eandem formam suff. *-a*, cujus vocalis in formis veluti *μεθύσθην* cum antecedente vocali contracta esset. Sed hanc formarum explicationem, quamquam falsam esse nequaquam possumus demonstrare, tamen quia et *ε* pro *o* in accusativo secundae declinationis minus placet, et *δοῦναι* a *δοῦν*, *φῦναι* a *φῦν* secernenda esse persuadere nobis vix possumus, non libenter sequimur, conabimurque demonstrare, cur *αι* in infinitivo solo exciderit, in aliis formis remanserit. Ac hujus quidem rei causa inesse videtur in consonantibus *αι* finali antecedentibus. Aut enim tales sunt, quales in fine vocaculorum lingua Graeca patitur, aut quales refutat. Si tales sunt, quales non patitur, consonans ea, quae vocali ejecta finalis facta est simul excidat necesse esset, quo facto voces intolerabili modo mutilarentur. E. g. *τύπτεται* fieret *τυπτετ*, et deinde *τυπτε*, ita ut ab imperativo activi secerni nequiret, *τυπτεσαι* fieret *τύπτες* vel *τυπτε*, e *τύπτομαι* fieret *τυπτον* et e *τυπτονται* item *τυπτον*, si in *τυπτόμεθα* non solum *ι* sed etiam *α* excidisset, prima plur. med. esset *τυπτομεθ* et deinde *τυπτομε* etc. In infinitivo autem cum consonans *ν* *αι* finali antecedat, i. e. talis consonans, qualis in fine vocabulorum toleratur, praeter ipsius diphthongi jacturam nullum omnino damnum linguae infligitur. Hac de causa non contra leges etymologiae agere videmur, si *μεν* e *μεναι*, et *-ν* e *εναι* abjecto *αι* ortum esse contendimus. De dorica forma in *-εν* postea disputabimus.

Quamquam igitur *μεν* a *μεναι* et *ν* a *ναι* non divellenda esse censemus, ipsa tamen suffixa, quorum casus sunt *μεναι* et *ναι* toto coelo inter se differunt, neque ullo modo *ναι* e *μεναι* derivari potest. *Μεναι* enim est loc. suff. *-mana* (indice mâna) quod in participio medii formando usurpatur, *ναι* loc. suff. *ana* quod in infinitivis sanscritae linguae adhiberi vidimus. Genuina igitur forma *εναι*, mutilata *ναι* (cf. Georg Curtius. De nominum graecorum formatione pag. 55.). Formis in *μεναι*, *μεν*, *ναι*, *ν* explicatis, jam ad infinitivum in *-ειν*, aeolice *-ην*, dorice *-εν* accedamus.

Saepius in dialecto aeolica *η* pro vulgari *ει* inveniri docet Ahrens. (De dial. dor. pag. 89 sq.). Idem demonstrat *η* aeolicum aut duorum *ε* contractione, aut elisione literae *ι* natum esse, ita

ut lingua communis, si diphth. *ει* habeat, aut aequalem aut vetustiorem formam retinuerit. Ergo a formis in *-ειν* in explicatione rei proficiscendum est. Derivarunt autem viri docti infinitivum in *-ειν* vario modo.

Bopp. Vgl. Gr. III. pag. 324. *ειν* ex *εμεναι* ita factum esse putat, ut primum *αι* abjectum sit (*εμεν*, ut in *ἀκούεμεν* etc.) deinde *μ* extrusum ut existat *ε-εν*, tum *ε-εν* contractum in *ειν*. Sed qui fieri potest, ut *μ* excidat, litera alias solidissima, quae nunquam in mediis vocibus graecis excidit? Saeviissent sane Graeci in miserrimam infinitivi terminationem, si eam a *-εμεναι* usque ad *-ε-ε˙ν-* redegērint.

Aliter rem explicat Ahrens. Uti, inquit, *θεῖναι* e *θέμεναι* natum est ejecto *μ* et vocali inde producta, ita e *λεγέμεναι* facta sunt *λεγεμναι λεγειναι* „quae non reperiuntur", denique *λεγειν* ultimo *αι* objecto. Quae sententia nobis prorsus videtur improbanda; *θεῖναι* non e *θέμεναι* ortum est, sed e *θε-εναι*, et cur neque *λεγεμναι* neque *λεγειναι* remanserunt, formae hexametro aptissimae?

Novissime Schleicher in compendio p. 380 *-ειν* derivavit ex *εναι*. *φέρειν* „inquit, pro *φερεινι* e *φερενι* et *φερεναι*". Epenthesin aut si mavis metathesin literae in lingua graeca usitatissimam significare videtur. Sed quae de litera *ι* valent, non valent de diphthongo *αι*. Numquam ex diphthongo sequentis syllatae *αι* vocalis *ι* in antecedentem transsiluit (cf. Curtius. Gr. Etym. II. p. 248 sq.) Si autem Schleicherus *αι* in *ι* correptum et deinde metathesin factam dicit, afferendae essent aliae voces, ubi *αι* in *ι* esset correptum.

His omnibus perpensis et ut nobis quidem videtur, refutatis restat ut productione quadam suppletoria *λεγεν* (e *λεγεναι*) in *λεγειν* mutatum dicamus, quo lingua solatium quasi quoddam habeat jacturae finalis. Sed docuit novissima gramaticae historia, fere omnia ea vocabula, quibus antea jus vocalium sine causa etymologica producendarum liberaliter concedebatur (quorum non parvum numerum attulit Buttmann A. Gr. p 96.) nunc alio modo explicanda esse, ideoque ejusmodi explicationes „veluti scopulum in mari" esse evitandas. Itaque nos, productionem suppletoriam refugium arbitrati, nonnisi in summo periculo appetendum, aliam infinitivi in *-ειν* etymologiam quaesivimus et ut nobis quidem videtur, invenimus.

Ut enim tertiam personam *λεγει* e *λεγετι* sic infinitivum

λέγειν e λεγετιν natum esse credimus. Λεγετιν autem est accusativus substantivi abstracti cum suffixo τι, cujus τ plerumque in lingua graeca in σ mutabatur (sed retinuerunt τ e. g. ἄμπωτις χῆτις μῆτις φάτις cf. Bopp. Vgl. Gr. III. p. 240.) et cujus dativum -tayê in lingua sanscrita infinitivum formasse vidimus. Huic explicationi cum quoad sensum analogiam praebeat inf. sanscr. in -tum oscus in -um (siquidem um e tum abjecto t natum credis) quoad formam tertia indicativi, nihil obstare videtur nisi formae quaedam dialecti Rhodiorum, quas Ahrens attulit. De dial. dor. p. 315, ubi haec leguntur: „Apud Rhodios, inquit, eorumque colonos Gelenses et Agrigentinos peculiaris terminatio -μειν reperitur in ποτιθέμειν, εἴμειν etc." Si enim hic μειν ortum est e μέναι (quod sine ulla dubitatione statuendum est; nam quid esset μειν e μεσιν?) quidni ειν e εναι? Ahrens ipse has formas explicare studuit l. c. p. 412, ubi legitur. „Illi conjugationis in ω terminationem ειν per malam analogiam ad conjugationem in μι transtulisse videntur". Nobis non solum mala analogia sed depravatio linguae popularis in causa esse videtur.

Doriensium infinitivus in -εν simplicissime e -ειν explicari posse videtur, quemadmodum λεγες quoque pro λέγεις invenitur (Ahrens d. dial. dor p. 175.) quamquam non negamus si formam modo spectemus -εν accusativum esse posse neutrius suff. a. Aeolicum -ην recte ex -ειν explicare grammatici videntur.

Cum ad eas quas hucusque enumeravimus formas explicandas lingua graeca ipsa instrumenta praebuerit, ad infinitivum in -σαι aggressi non possumus, quin in lingua sanscrita aliquantisper immoremur. Bopp enim vgl. gr. III. 272 sq. infinitivum in -σαι cum sanscrito in -sê sive -asê desinente comparavit, quod primo aspectu videtur clarissimum. Sed in forma sanscrita ipsa explicanda discrepant viri docti. Bopp l. c. verbum substantivum aut totum aut vocali radicali privatum terminatione dativi auctum in inf. latere putat, Hoefer in libello „Vom infinitiv, besonders im sanscrit. Berlin 1840" -asê credit esse dativum subst. abstr. neutr. gen. in -as, et sê inde correptum, cui assentit Schleicher l. c. 374. Quae explicatio nobis quoque, quippe quae analogiam ceterarum formarum sequatur, aptior videtur esse. Has autem formas in -asê et -sê si cum graecis in -σαι comparas, duae res sunt quae suspicionem moveant. Primum enim miramur, nusquam ut pro sê-σαι, sic

pro asê εσαι inveniri, deinde notandum est, nunquam dativum neutrius tertiae declinationis in αι exire. Sed hae causae, quamvis latefactent Boppianam illam comparationem, evertere tamen non possent, nisi aliud quid accederet, ut nobis videtur multo gravius. Cum enim thema aoristi primi sit τυψα, a quo omnes modi formantur, mirum sane esset et inauditum, si infinitivus ab alio themate derivaretur. τυψαι a τυψα non est secernendum, ergo cum indicis illis formis, qui dativi sunt substantivorum in -as, nihil habet commune, sed est locativus singularis thematis aoristi primi τυψα, cujus declinationis radicalis aliud quoque exemplum statim afferemus.

Formam ἦμες a scholio Theocriteo VII, 86 pro infinitivo dorico allatam, quam Hoeferus l. c. explicare conabatur, ut hyperdoricam damnat Ahrens l. c. pag. 523.

Restat infinitivus medii in -σθαι sive -εσθαι. Infinitivus medii in ea lingua, quam omnium quae nunc sunt indogermanicarum fundamentum fuisse concludimus, non exstabat, qua de re postea in parte syntactica uberius erit dicendum. De origine formae disputavit Bopp l. c. 328 sq. θαι casum esse dicit radicis dhâ, graece θε, literam σ contendit esse consonantem radicalem pron. pers. tert. pers., ita ut λεγεσθαι proprie significet „in faciendo se dicere“. Aliter de hac forma judicat Schleicher l. c. pag. 382, qui Graecorum σθαι cum vedica terminatione infinitivi in -dhyâi comparat, quamquam non clarum est, utrum σ in lingua sanscrita ejectum, an in graeca adjunctum esse statuendum sit. Atque nobis quidem haec Schleicheri explicatio magis placet. Confitemur tamen, nos de infinitivo in -σθαι nihil pro certo statuere posse.

Jam in fine partis etymologicae quae invenimus, breviter collocare juvat:

(ε) -μεναι est locativus sing. subst. abstr. fem. gen.
-μεν e μεναι correptum
(ε) -ναι est loc. sing. subst. abstr. fem. gen.
-ν e ναι correptum (fortasse etiam dorice -εν e εναι)
-ειν est accusativus sing. subst. abstr. fem. gen.
-ην et fortasse -εν formae dialecticae e -ειν natae.
-σαι est loc. sing. thematis in -σα
de -σθαι nihil pro certo statuimus.

aut, ut omnia una definitione amplectamur: „Infinitivus graecus est casus substantivi abstracti“.

II. PARS SYNTACTICA.

§. 2. *Quae ratio intercedat inter etymologiam et syntaxin.*

Absolutis iis quae de etymologia inf. gr. dicenda nobis videbantur, priusquam ad alteram dissertationis partem accedamus, pauca de syntaxi in universum ejusque tractatione monenda sunt.

Nos formas infinitivi nulla syntaxis ratione habita, perscrutati definitionem invenimus hanc: „Infinitivus est casus substantivi abstracti"; si contra ea grammaticum quemdam ad usum syntaxis nulla formae ratione habita definientem inspexerimus, longe alia definitio nobis offeretur, e. g. apud Rudimannum haec: „Infinitivus est modus, qui generalem verbi significationem absque certae personae numerive discrimine exprimit".

At quomodo hae definitiones diversissimae, quae nihil omnino habent commune, in unam eandemque rem quadrare possunt? Quod in definitione etymologica substantivum est, in syntactica est modus, quod in etymologica casus est, in syntactica nullum personae numerive discrimen patitur. Igitur naturam suam etymologicam plane amisit infinitivus, alteram assumpsit diversissimam?

Ad has quaestiones is qui infinitivi usum explicare studet, respondeat necesse est, exponat qui fieri possit, ut una eademque res duas definitiones patiatur, unam etymologicam alteram syntacticam utramque rectam, vel ut de syntaxi in universum loquamur: *Opus grammatici id est, ut explicet, quibus gradibus vocabula a sensu etymologico ad sensum suum syntacticum transgressa sint.* Vocabula enim per se considerata sensum suum proprium, vel ut ita dicam privatum habent, in enunciatione si cum aliis conjunguntur sensum alium et quasi publicum assumunt, cujus rei in omnibus linguis indogermanicis exempla inveniuntur innumera (cf. pronomen relativum, quod in omnibus ling. ind. proprie est demonstrativum aut interrogativum, conjunctiones, quae maximam partem proprie sensum localem habent etc. etc.). Sed par est, non uno quasi saltu voces a sensu etymologico ad sensum syntacticum pervenire, sed gradibus diversis. In juventute linguae libere magis et ad suum sensum proprium voces ponuntur, in aetate virili ad unam regulam unamque normam syntaxis omnia sunt redacta. Exemplo sit

usus accusativi in lingua theotisca. Usum accusativi a verbo recti in nostra lingua inde a vetustissimis temporibus magis magisque extendi, ceterorum casuum restringi, praeclare monuit Jacobus Grimmius synt. pag. 684. Magnus enim numerus verborum qui nunc accusativum regunt, in vetustiore lingua genetivum ant dativum habebant, e. g. genetivum: biginnan incipere, bidjan petere, brûkjan frui, drigkan bibere, fâhen capere, frâgen interrogare, galaubjan credere, hausjan audire, hueten custodire, korôn tentare, muoten desiderare, precchan frangere, swern jurare, wünscen optare; et dativum: frakunnan aspernere, gürten cingere, hausjan audire, ruofen clamare, tekan tangere.

Cujus rei causam ipse optime exposuit: accusativus enim, inquit, si ponitur, verbum plane devicit substantivum, si genetivus aut dativus, tantum aggressum est synt. pag. 646. „Der accusativ zeigt die vollste entschiedenste bewältigung eines gegenstandes durch den im verbo des satzsubjects enthaltenen begriff. geringere objectivisierung liegt im genitiv. Die tätige kraft wird dabei gleichsam nur angehoben, nicht erschöpft“ aut, ut nostris verbis exprimamus: genetivus aliquantulum retinuit sensum etymologicum (partitivum) accusativus amisit et sensum assumpsit syntacticum (merum objectum exprimens). Si igitur genetivum excludi, accusativum induci videmus, sciamus syntaxin de etymologia victoriam reportasse.

Hoc linguae theotiscae exemplo multis quoque locis syntaxis graecae lux affunditur. Cum enim multa verba sint, quae et genetivum aut dativum et accusativum objecti regant, exemplo linguae cognatae innisi, accusativum postea immigrasse nostro jure contendimus, quod ex lingua graeca ipsa demonstare difficilius est, quia in historia linguae graecae periodi accurate discerni non facile queunt. Tantum enim ad omnes poetas Homerus valebat, ut diversarum aetatum scriptores eundem imitati magis quam pro temporum discrimine crederes similes sibi fierent. Sed possunt vestigia etiam in lingua graeca inveniri. E. g. Graecorum *γιγνώσκειν*, quod fere semper accusativum regit, duobus locis vetustiorem usum genetivi retinuit:

Λ 357 *ὥς γνῶ χωομένοιο*

Pind. Pyth. 4, 279 *ἐπέγνω μὲν κυράνα Καὶ τὸ κλεεννότατον μέγαρον Βάττου δικαιᾶν Λαμοφίλου πραπίδων.* Sed hanc rem, quippe quae nonnisi omnibus linguis cognatis com-

paratis ad finem perduci possit, mittamus et ad infinitivum unde digressa est oratio nostra revertamur.

§. 3. *Cur infinitivi forma praecipue idonea sit, quae sensum substantivi amittat.*

Hic syntaxis tractandae modus si in infinitivo quoque adhibendus est, primum accuratius est definiendum, quam naturam infinitivus habeat in syntaxi linguae politioris. Habet autem inf. alia cum substantivis alia cum verbis communia. Cum substantivis id commune habet, quod declinatur, cum verbo haec:

1) eosdem cusus regit ac verbum finitivum
2) non cum adjectivis sed cum adverbiis jungitur
3) ex pluribus temporibus formatur
4) Ex omnibus verbi generibus formatur.

De infinitivo declinato postea dicemus. Priusquam autem ad ea, quae inf. cum verbo communia sunt accedamus, de infinitivi forma quaedam sunt praemonenda. *Quaerendum enim est, quas ob causas forma infinitivi prae ceteris apta videatur, quae sensum substantivi amittat.* Qua de re ut judicare possimus, quae in parte etymologica invenimus, nunc paulo accuratius sunt examinanda.

Ac *casus* quidem infinitivi cum locativum et accusativum esse contendamus, nunc quaerendum est, an fortasse alias quoque locativus et accusativus sensum casualem amiserint. Atque locativum adverbii magis quem casus naturam in lingua graeca habere, ex duabus rebus concludimus gravissimis. Primum enim notandum est, *locativum ut casum substantivi fere prorsus interiisse et nonnisi pauca vestigia reliquisse.* Casus autem, qui rarissime ut casus usurpatur, aptissimus est ad sensum non casualem suscipiendum. Verum non solum raro retinuit, sed etiam saepe abjecit locativus sensum casualem. *Multa enim adverbia formam locativi assumpserunt,* quae cum omnia afferre longum sit, pauca attulisse satis erit:

αἰεὶ proprie significat, „in tempore“, nam „tempori“ nihil esset. Est autem natum ex *αἰFεσι*, locativo substantivi inveterati *αἰFος* cf. Kuhnium Zeitschr. II, 252. Accentus quem crederes esse in penultima, analogiam particularum ut *ἐκεῖ ἐπεὶ* etc. secutus esse videtur. *πάλαι* videtur esse locativus feminini, et cognatum esse cum *πάρος*, mutato *ρ* in *λ*.

Summo jure Curtius conjunctionem *καὶ* locativum feminini pronominis relativi esse contendit. Bopp enim qui ex cêt explicat, oblitus esse videtur cêt esse compositum mere sanscritum. Si autem Curtium sequimur *καὶ* proprie significat „qua ratione". Itaque *ἐγὼ καὶ σὺ* ad verbum vertendum esset „ego, qua ratione tu", aut pronomine demonstrativo ut par est suppleto „eadem ratione ego, qua tu". Optime respondet et forma et sensu (nam solo casu differt) nostrum wie ahd. hvêo, hviu, quod nunc apud nos sensum conjunctionis copulativae saepissime accepit. Ut enim dicimus „alte *wie* junge zogen hinaus", sensu non immutato etiam „alte *und* junge zogen hinaus" dicere possumus. Nescio an vetustissimis temporibus Graeci quoque idem inter *τέ* et *καί*, quod nos inter und et wie interesse senserint.

Plura afferre non opus videtur cf. Gerland: De dativo pag. 17 et de locativis pluralis Curtium Gr. Etym. II, 216.

Accusativum quem nos in infinitivo in *-ειν* inesse judicavimus, omnium casuum maxime esse abstractum, in iis quae de syntaxi in universum diximus, demonstrare studuimus. Multa autem adverbia formam accusativi assumsisse notissimum est, ita ut vocabulis afferendis supersedere possimus.

Vidimus igitur linguam in casibus ad infinitivum formandum eligendis, ut semper, sapientissime egisse. Idem de genere valet. Jam, cur infinitivus in plerisque formis (nam in *-σαι* et *-σθαι* nihil de genere eruendum est) sit *generis feminini* quaeritur. Analogia adverbiorum iterum responsum fere videtur.

Adverbia aut casus esse substantivorum aut adjectivorum notissimum est. Ea quae casus sunt substantivorum, genus quoque substantivi necessario sequuntur, veluti *μόγις μόλις* etc. qui dativi pluralis sunt *masculini* generis (cf. Curtius l. c. II, 216). Si casus sunt adjectivorum, apud nonnulla certa substantiva supplenda sunt, veluti *ἐς μίαν βουλεύσομεν* sc. *βουλήν* B 379, *τί μοὐκ ἀνταίαν ἔπαισέν τις ἀμφιθήκτῳ ξίφει* sc. *πληγὴν* Soph. Antig. 1307 cf. El. 195. Idem de *νῖν* valet, siquidem recte accusativum masculini esse et proprie significare „novum" sc. *χρόνον* judicat Pott (E. F. editio sec. I. pag. 292). Par est haec quoque unumquodque genus habere posse. Longe autem plurima adverbia non a substantivo quod animo subaudiendum sit reguntur, sed ut alia vocabula sui juris sunt. *Haec autem adverbia nullum aliud genus habent nisi femininum aut neutrum,*

masculinum plane excluditur. Neutra, quia ad nostrum consilium nihil valent, mittamus. Notissima sunt *πολὺ ὀλίγον πόσον τόσα σχεδόν κρύβδα, πλὴν* (e *πλέον*) *πρὶν* (e *πρόϊν*) *ποῦ πῶς* etc. Feminina item notissima sunt, velut *κοινῇ ἰδιᾷ δημοσίᾳ πανσυδίῃ ἄντην ἀντιβίην μακρὰν* permulta in *-δὴν* ut *ἄρδην βάδην κρύβδην συλλήβδην λογάδην σποράδην ἐπιλίγδην μίγδην ὀνομακλήδην ὄβδην γράβδην* etc. etc. Jam cur ad hujuscemodi sensum abstractum exprimendum lingua graeca, sicuti multae aliae linguae feminino usa sit, diserte dici vix potest, praevalebat sensus quidam poëticus. Nos si non explicatione at certe analogia inventa contenti sumus. De *numero* infinitivi vix aliquid dicendum est. Plurima adverbia singularem formam praebent, neque ulla inveniri causa potest, cur pluralis praeferatur. In nulla quoad nos scimus lingua indogermanica infinitivus suffixum pluralis prae se fert. Haec de forma infinitivi. Jam de iis uberius dicendum est, quae infinitivo et verbo communia sunt. In initio posuimus, ab infinitivo eundem ac a verbo finito casum regi, cujus usus similia quaedam in ceteris substantivis quaerenda sunt.

§. 4. *De substantivis, qui eundem casum regunt ac verbum finitum.*

Tractaverunt hanc rem Schmidt l. c. §. 14, qui praecipue ex lingua latina exempla attulit et Hermannus ad Vigerum ed. sec. pag. 53, qui tamen poetas neglexit.

Substantiva in *τήρ*, ut quae maxime ad participiorum similitudinem accedant, verbi finiti constructionem facile sequuntur. Nos duos locos invenimus.

Aesch. Prom. 612 *πυρὸς βροτοῖς δοτῆρ' ὁρᾷς Προμηθέα*

Pind. Pyth. 1, 95 *τὸν δὲ ταύρῳ χαλκέῳ καυτῆρα νηλέα νόον ἐχθρὰ Φάλαριν κατέχει παντᾶ φάτις.*

Alia forma subst. in *τηρ* est in *τωρ*, quam eodem modo usurpatam legimus: Aesch. Agam. 1090

πολλὰ συνίστορα αὐτόφονα κακὰ sc. *στέγην*, quod vertendum est „in domum ago te scientem multa mala etc. Ab eadem radice *Fιδ*, unde *συνίστωρ* derivandum est, descendit quoque *ἴδρις* gnarus. Quod vocabulum, cum proprie genetivum postulet (cf. Hes. sc. H. 351 *οἵτε πόνων καὶ ἀέζυος ἴδριες εἰμέν*) apud Soph. Trach. 651 accusativum habet in *ἴδριες οἰδέν*, quamquam *οἰδὲν* quoque accusativus qui dicitur graecus esse

potest. Certior est alius locus apud Soph. notissimus Antig. 788 *σέ φύξιμος*. E prosa oratione attulit Hermannus: Plat. Apol. 17, *ἡ ἐμὴ τῷ θεῷ ὑπηρεσία* 2 Cor. IX, 12 *διὰ πολλῶν εὐχαριστιῶν τῷ θεῷ*. Hi loci excepto Sophocleo illo *ἴδριες οὐδὲν* certa et indubitata ejus constructionis, de qua agimus, exempla praebent. Dubitari potest de aliis ex gr. Aesch. Choeph. 23, ubi cod. Guelf. et vet. editiones habent *χοὰς πρόπομπος*, Victorius primus legit *χοᾶς*, Stanleius conjecit *χοᾶν*, quem Dindorfius secutus est, quamquam ego cur *χοὰς* mutatum sit, non video. Similiter se habet locus in Suppl. 811 *λύσιμα μαχιμα*, quod schol. explicavit *λύσιμα τῶν κακῶν*, nunc aliter interpungitur. Ad finem reservavimus Hesiodeum illud, de quo discrepant viri docti Op. et D. 190 Goettl. pag. 181

— — *μᾶλλον δὲ κακῶν ῥεκτῆρα καὶ ὕβριν ἀνέρα τιμήσουσιν* (cf. Bernhardy synt. pag. 50), quod posse quidem ita explicari ut *ὕβριν* a *ῥεκτῆρα* pendere statuamus, satis demonstravit Goettlingius, debere autem nos probare non possumus, igitur in dubio relinquimus.

Ex lingua latina ipsi exempla non quaesivimus sed satis duximus si Schmidtium laudemus, qui ejusmodi exempla collegit, veluti apud Plautum Poenul. 5, 5, 29 quid tibi hanc digito tactio est? etc.

Ex lingua theotisca attulit quaedam Grimmius, dubitans ipse sed recta ut videtur, e. g. zerrer gotes rok, suenaerinne Christen Juden Heiden (synt. pag. 755). Similis est quidam Nibel. locus ubi infinitivus sensu substantivi, qui alias semper ut substantivum censtructus, accusativum regit.

Nib. 729, 4. „Da wart vil michel grüezen die lieben freunde getan". His exemplis satis illustratum credimus, infinitivum si eundem casum regat ac v. f. ceterorum substantivorum analogiam non plane amisisse, et id modo interesse inter inf. et cetera subst., quod haec interdum, ille semper casum verbi finiti assumat.

§. 5. *Infinitivum non cum adjectivis sed cum adverbiis jungi.*

Notissimum est, ne in hac quidem re infinitivum quidquam proprii habere. Apud omnes enim scriptores graecos leguntur phrases velut *οἱ νῦν ἄνθρωποι, οἱ πάλαι ἄνθρωποι, ἡ παραυτίκα ἡδονή*. Interest autem inter infinitivum et substantivum

idem, quod in antecedente paragrapho interesse videmus. Substantivum enim cum adverbiis jungi potest, inf. debet.

§. 6. *Infinitivum per tempora moveri.*

Postquam in iis, quae hucusque tractavimus infinitivum ceterorum substantivorum analogiam non plane neglexisse vidimus, nunc ad ea accedimus, quae cum solis participiis ei sunt communia. Sola enim participia et infinitivi per tempora et genera verbi moventur, ideoque inter verbum et substantivum quasi fluctuare videntur. At quomodo huic rei definitio etymologica consentit? Nos in initio dissertationis ita locuti sumus, quasi nullus alius quam infinitivus praesentis exstaret, alios permultos neglexisse. Apparet nos tum modo nostro jure ita egisse, si probare possimus, infinitivos ceterorum temporum non ab initio in lingua graeca viguisse, sed ad inf. praesentis analogiam postea formatos esse. Atque hoc ex ceterarum linguarum indogermanicarum exemplis comprobari posse arbitramur. Linguae enim sanscritae infinitivus nullum temporis discrimen patitur. Infinitivos in sê et asê, quos Bopp ab aoristo formatos esse censet, nos Schleicherum secuti alio modo explicavimus. De una illa forma autem vâvridhadhyâi R. V. I, 61, 3, quam ut infinitivum perfecti affert Bopp Vgl. Gr. III, 267 valet, quod Graeci dicunt *μία χελιδὼν οὐ ποιεῖ ἔαρ*. Id enim certum videtur, vâvridhadhyâi non esse relicuum pristini sed praenuntium recentioris temporis. Idem de lingua gothica, slavica, litthavica valet, quae cum simplicem formam non habeant, compositione languida uti cogantur. Apparet igitur, linguam graecam nullos aut certe perpaucos aliorum temporum infinitivos ex Asia secum duxisse, sed quos habeat postea formasse. Ex his quid de syntaxi infinitivi sequatur in ultima disputationis paragrapho uberius exponetur.

§. 7. *Infinitivum per genera moveri.*

Ordiamur iterum a linguis cognatis. De infinitivo passivi linguae latinae, quia de eo quot viri docti tot sententiae, tacere optimum duximus, de infinitivo linguae sanscritae et gothicae egregie disputavit Bopp Vgl. Gr. III, 298. Quoad formam, notandum est, neque linguam sanscritam neque gothicam infinitivum passivi habere, quoad sensum proficiscendum ab eo, quod Bopp dicit:

Substantiva, inquit, abstracta actionis neque sensum activi neque sensum passivi, sed meram actionem exprimunt. Itaque utrum de subjecto agente an patiente sermo sit, non ex his substantivis abstractis -infinitivis -sed e totius enunciationis sensu concludendum est. Nos, ut ad nostrum cogitandi modum translationem accommodemus, substantivum abstractum saepe per inf. activi, saepe per inf. passivi vertimus, quamquam sensus ipse infinitivi nullo modo variatur. Afferamus exemplum Luc. III, 12. ἦλθον δε καὶ τελῶναι βαπτισθῆναι, quod Ulfila vertit: qemun than môtarjôs daupjan. Hoc proprie vertendum est: venerunt portitores ad actionem baptizandi, cum in dubio relinquatur, utrum venerint ut baptizent an ut baptizentur, quod ex toto versu concludi debet. Hujusmodi exempla ex compluribus linguae theotiscae dialectis afferri possunt.

De forma inf. graeci passivi in parte etymologica dictum est. Dubium esse demonstravimus utrum signum medii prae se ferre statuenda sit, necne; sensum mediopassivi habere, eoque a ceteris formis diversam esse certum est. Ex his concludi possunt, quae in ultima paragr. fusius explicabuntur, hic tetigisse satis est.

In infinitivo linguae indogermanicae originalis nulla generum diverritas inerat. Lingua graeca hunc infinitivum communem divellit, altera forma ad activum altera ad passivum exprimendum usa est (vel si -σθαι aliter explicare mavis, infinitivum communem in activo retinuit, passivo aliam formam creavit). Si Schleicheri illam formae in σθαι explicationem sequimur, eodem jure lingua graeca formis in -σθαι activo sensu, formis in ειν passivo uti potuisset. Quod tamen passivo formam in -σθαι vindicaverit, id videtur esse causae, quod haec forma gravior in -αι desinens cum ceteris formis passivi in -μαι -σαι -ται -νται quasi cognata videbatur et ad idem genus pertinens.

Sed necesse est, ejus temporis, quo formae diversae nondum diversum habebant sensum, vestigia reliqua esse, non credendum est, uno quasi die linguam subito formarum usum mutasse. Ac nobis quidem videntur vestigia reliqua esse non pauca. *Saepe enim post adjectivum infinitivus activi et infinitivus passivi plane eodem sensu usurpantur,* cujus rei non inutile erit, quaedam afferre exempla

ὁρᾶν et ὁρᾶσθαι: κυδρότερος προσορᾶν Xenophanes 2, 6. ἐσορᾶν καλὸς Pind. O. 8, 19. μείζονες ἐξοράασθαι κ 396. σ 4.

ἰδεῖν et ἰδέσθαι: τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη Theognis 216. (quamquam ἰδέσθαι et ὁρᾶσθαι media esse possunt) αἰκισιὸν δ' ἰδεῖν Soph. Ant. 206. μείζων εἰσιδεῖν ς 230. εὐρύτερος ἰδέσθαι Γ 194. δεινὸς δ' εἰς ὦπα ἰδέσθαι χ 405. ἱέρας μὲν θαυμάσιον προσιδέσθαι, θαῦμα δὲ καὶ παριόντων ἀκοῦσαι Pind. P. 1, 26. cf. ρ 306. E 725.

Usitatissima dicendi formula est οἶνος ἡδὺς πίνειν, passive expressit Theognis 477: ἤξω δ' ὡς οἶνος χαριέστατος ἀνδρὶ πέποσθαι Similiter adversantur loci:

Herod. I, 193. χώρη ἀρίστη Δημήτηρος καρπὸν ἐκφέρειν, ubi χώρη subjectum esset verbi ἐκφέρειν et Tyrtaeus 5. 3. Μεσσήνην ἀγαθὴν μὲν ἀροῦν, ἀγαθὴν δὲ φύτευειν, ubi ut subjecta infinitivorum subaudiuntur οἱ ἀροῦντες et οἱ φυτεύοντες.

Saepe apud eundem scriptorem formulae simillimae diversa infinitivi genera habent, sicuti apud Homerum. Σ 259. τόφρα δὲ ῥηΐτεροι πολεμίζεμεν ἦσαν Ἀχαιοὶ (cf. Ω 244.). Υ 265. ὡς οὐ ῥηΐδι' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι οὐδ' ὑποείκειν. Ξ 269. δώσω ὀπυιέμεναι καὶ σὴν κεκλῆσθαι ἄκοιτιν. Audaciora quaedam praebet Sophocles

ἔχεις γὰρ χῶρον οὐχ ἁγνὸν πατεῖν O. C. 37.
ἐπάξιος γὰρ Οἰδίπους κατοικτίσαι O. C. 461.
τυράννις ἡδίων ἔχειν ἔφυ O. T. 592.

Insolentius passivum legitur apud Pindarum O. 6, 101.

ἀγαθαὶ δὲ πέλονθ' ἐν χειμερίᾳ νυκτὶ θοᾶς ἐκ ναὸς ἀπέσκιμφθαι δύ' ἄγκυραι.

Plurima quae ex Homero afferri possunt, hic adscribere non opus est. De quibusdam egit Naegelsbach ad. Il. pag. 34.

Hujusmodi exempla eam viam significare posse videntur, qua — si Schleicheri explicatio formae in -σθαι recta est — ingressam esse linguam graecam statuendum esset. In formula „μέγας ἰδεῖν" μέγας est subjectum ideoque nominativus, idem tamen vocabulum objectum est verbi ἰδεῖν. Nam pro „μέγας ἰδεῖν" proprie dicendum esset, „μέγας ὥστε τινὰ ἰδεῖν αὐτὸν". Itaque *in eadem enunciatione* idem verbum primo snbjectum, deinde objectum est. Passivi autem id est proprium, quod *in eadem forma* (ὁρᾶται) eadem res subjectum et objectum est. Quam ob causam ab hujusmodi formulis quales „μέγας ἰδεῖν"

facilis erat transitus ad verum infinitivum passivi formandum. Mea enim sententia Graeci notionem passivi quam in tota formula inesse senserunt, ad solum infinitivum false transtulerunt, et eodem sensu hunc infinitivum aliis quoque locis adhibuerunt.

Sin Boppii explicatio formae in *-σθαι* recta est, sensus medii in passivum transiit, cujus rei exempla afferre non opus est.

§. 8. *De declinatione infinitivi.*

Postquam in antecedentibus de iis dictum est, quae infinitivus cum verbis communia habet, jam de iis disputandum videtur, quae substantivi analogiam sequuntur.

Jam, si omnis disputatio incipiat necesse est a definitione plana ac indubitata, nihil videtur magis planum ac consentaneum, quam si contendimus, casum substantivi, qui ipse declinando ortus sit, non posse iterum declinari. Attamen de declinatione infinitivi loquimur et sexcenties apud scriptores Graecos infinitivum declinatum invenimus. Quod quomodo explicandum sit, postea uberius demonstrabitur. Graeci enim quibus temporibus ea quae nos vetustissima habemus poeseos monumenta composita sunt, cum neque diversitatem casuum infinitivi neque ipsum casum esse senserint, iis locis ubi pro substantivo ponitur infinitivus, nihil nisi merum substantivum indeclinatum percepisse credendi sunt. Quare igitur miremur, cur illi hoc substantivum sicut alia declinaverint? Verumtamen obscuram quandam cogitationem de propria infinitivi natura animis eorum etiamtum obversatam esse, ex eo sequitur, quod cum articulus infinitivo propositus per omnes casus moveatur, infinitivus ipse nullas casuum terminationes assumpsit. Qua cum re ad amussim congruens exemplum habemus in lingua gothica. Infinitivus enim gothicus, quamvis cum praepositione du jungatur, nunquam tamen ipse movetur cf. urrann du saian Marc. 4, 3 usfullnôda mêl du bairan Luc. 1, 57, dum contra in lingua theotisca vetustiore, quae originis casualis, quam habet infinitivus, plane oblita est, saepissime infinitivus dativi terminationes praebet cf. ist ze sagenne, was hat diu werlt ze gebenne. Lingua graeca recentior cum theotisca comparari nequit, quia infinitivum plane amisit cf. *θέλω νὰ φάγω* = gr. *v. θέλω φαγεῖν* (Mullach. Gr. Vulgarsprache pag. 221).

Jam cum infitiari non possimus, linguam casum substantivi iterum declinasse, an fortasse analogiae reperiri possint,

circumspiciendum est. Ac primum quidem in oculos occurrunt adverbia, quae quamvis casus sint, tamen cum praepositionibus junguntur velut *κτῆμα εἰς ἀεὶ, ἐς τὸ ἔμπροσθεν* etc., deinde adjectiva sicut *φροῦδος*, quod ortum est ex *πρὸ ὁδοῦ*, cujus rei in linguis recentioribus mille exempla afferri possunt, ut quod Galli dicunt „d'aujourdhui“ quod natum est ex „de ad illud diurnum de hodie“ etc.

De usu loquendi ipso non multa notanda sunt, quia de eo jam satis disputavit Thiersch Gr. Gr. pag. 433 sq., Schmidt l. c. pag. 12, Hermannus ad Vig. pag. 702. Nos cum non ex omni parte usum infinitivi explicare instituissemus, id quod dissertationis modum excessurum esset, hos viros attulisse satis duximus. Jam ad eos syntaxis locos transeundum est, in quibus maxime sensum suum proprium infinitivus tutatus est. Agemus igitur de infinitivo absolute posito ac primum quidem:

§. 9. *De infinitivo pro imperativo usurpato.*

In declinatione infinitivi dum usus satis constat, explicatio difficultates habet, contra ea infinitivi pro imperativo usurpati explicatio manifesta est, usus non satis patet. Ac de explicatione quidem recte disputasse videtur Schmidt l. c. §. 25. Non enim ellipsis quaedam statuenda est, sed Graeci infinitivo posito solam rem agendam audientium animis proposuerunt, ut illi exhortationem rei perficiendae animo subaudirent. Simili modo substantiva usurpantur, sicuti *μὴ μοὶ τριβάς* Antig. 577, *μηδὲν πρὸς ὀργὴν* Elect. 369, Hom. *σιγῇ νῦν ο* 440 etc. De usu paulo uberius est dicendum.

Constat apud Homerum saepe infinitivum sensu imperativi usurpatum inveniri neque apud posteros plane hunc dicendi modum interiisse. Quam rem nos quoniam nemo quoad scimus singulorum poetarum elocutionem ut par est discernendo et diversa poeseos genera enumerando accurate tractavit, nos si non fusius explicare at certe primis lineamentis adumbrare studebimus. Ab Homero ut semper principium. In Iliade infinitivus pro imperativo non ita raro invenitur. Inter tricenos enim exhortationes, si in numerando non erravimus, viceni noni imperativi, singuli infinitivi leguntur. Locos ipsos afferre non necesse videtur, quia in disquisitione ipsa plurimis utendum erit. De sensu quaestio difficilis est. Cavendum enim est, ne judicium aliunde repetitum in Iliade ipsa temere adhibeamus.

Nostra enim sententia *in Iliade sensus imperativi a sensu infin. pro imp. usurpati non diversus est*, quod cum e permultis locis, in quibus plane eodem sensu quo alias imperativus adhibetur, tum ex iis concludendum est, in quibus una cum infinitivo invenitur.

cf. *Γ* 59. *ἔκδοτε καὶ τίμην ἀποτινέμεν ἥν τιν' ἔοικε* *Z* 273. *τὸν θὲς Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἡνκόμοιο καὶ οἱ ὑποσχέθαι* cf. I. 279. coll. 137 sq.

A 323. *B* 10,75. *Δ* 64,71. *E* 124, 130, 132, 262, 263, 264. *H* 461, 462. *I* 248. cf. 251, 281, 288, 369, 708, 709. *K* 65, 238, 347. *Ξ* 501. *O* 159, 230. *Π* 87, 95, 96, 454, 839. *P* 501. *Σ* 142. *Y* 335, 338. *Φ* 294, 297, 341, 501, 535. *X* 259, 342. (cf. A 20.) *Ψ* 83, 551, 605.

Id autem non infinitivi proprium esse ut in precibus et supplicatione usurpetur (in precibus erga deos *B* 411, 412. *H* 179, in supplicatione erga homines *Ω* 552. *A* 20, 582.) demonstrant loci in quibus plane eodem sensu merus imperativus legitur cf. *A* 37 sq. 451 sq. *E* 115 sq. et saepius *I* 251, 260. *X* 339 sq. Restant quidam loci, ubi usus loquendi postea frequentissimus praenuntiari quasi videtur. In libro *Ψ* enim vrs. 334 sq. Nestor ut Antilochum filium de curru regendo informet quater infinitivo pro imperativo utitur (334, 335, 336, 343.) quem locum nos, quia librum *Ψ* recentiorem esse omnes consentiunt, una cum Odyssea tractabimus. Gnomice legitur *I* 255, 257. *A* 708. de quo postea uberius erit dicendum. Paucis igitur locis exceptis in Iliade infinitivus pro imperativo usurpatus ab imperativo ipso sensu non differt. Cujus rei si quis testimonium exoptat externum, Zenodotum affero, qui plurimis locis quibus pro metro posset, infinitivum in imperativum mutavit *Γ* 459 *E* 132 *O* 347. *Σ* 142 etc. (cf. tamen *Δ* 71. *H* 461. *Π* 96).

Aliter ac in Iliade res se habet in Odyssea, si et numerum et sensum spectamus. Nam et plures infinitivi leguntur, ita ut inter denas septenas exhortationes deni seni imperativi, singuli infinitivi sint, et alio sensu infinitivus usurpatur. Quamvis enim ne in Odyssea quidem loci desint, ubi infinitivus communem imperativi sensum habet (*ε* 342 sq. *π* 151. *ρ* 278) plurimis tamen proprium quendam sensum assumsit. Quod ex iis potissimum locis concludendum est, in quibus cum imperativo conjungitur. His enim examinatis videbimus, *imperativo res brevi tempore eventuras, infinitivo res remotiore tempore eventu-*

ras significari. Quam rem ut comprobemus, loci quidam adscribendi sunt.

λ 248 *χαῖρε γύναι φιλότητι, περιπλομένου δ'ἐνιαυτοῦ*
τέξεαι ἀγλαὰ τέκνα . . . . . σὺ δε τοὺς
κομέειν ἀτιπαλλέμεναι τε, Νῦν δ' ἔρχευ πρὸς
δῶμα καὶ ἴσχεο

σ 14 coll. 31 ν 308 sq.

ρ 599 *ἔσσεται οὕτως ἄττα, σὺ δ' ἔρχεο δειελιήσας*
ἠῶθεν δ'ἰέναι καὶ ἄγειν ἱερήια καλά

χ 437 *ἄρχετε νῦν νέκυας φορέειν καὶ ἄνωχθε γυναῖκας,*
αὐτὰρ ἔπειτα θρόνους περικαλλέας ἠδέ τραπέζας
ὕδατι καὶ σπόγγοισι πολυτρήτοισι καθαίρειν sq.

Ipsa Homeri verba adscripsimus, quia ad hujusmodi locorum similitudinem omnis disputatio de usu infinitivi revocanda est. Sedem enim suum in Odyssea inf. pro imp. non habet in imperiis, quibus celerrime obtemperandum sit, sed in praeceptis et consiliis. Ut in eo Iliadis loco quem attulimus Nestor filium instruens non imperativo sed infinitivo utitur, ita in Odyssea plurimis locis adhibetur a monentibus instruentibus docentibus cf. δ 406 sq. (416, 419, 422, 423) ubi Idothea Menelao consilium dat Protei capiundi, ζ 258 sq. (261, 295, 298, 311) ubi Nausica Ulixen de via et de patriae moribus informat. Sed cum plura instruendi docendi monendi genera sint, infinitivus in Odyssea praesertim in duobus usurpatur, vaticiniis et praeceptis generalibus. Vaticiniorum exempla sunt plurima κ 297, 299, 505—536 ubi Circe Ulixi de itinere in Orcum vaticinatur, λ 121 sq. Tiresiae vaticinium μ 45 sq. Praecepta generalia praeter ea quae jam sunt allata praebet locus notissimus λ 441 *τῷ νῦν μή ποτε καί συ γύναικί περ ἤπιος εἶναι* cf. *I* 255, 257 *Λ* 708.

Videmus igitur Iliadem ab Odyssea eo differre quod in Iliade infinitivus sensu imperativi communis, in Odyssea sensu proprio ac praesertim quidem in vaticiniis et praeceptis generalibus usurpatur. Quibus perpensis facile est ad intelligendum, cur in Odyssea saepius quam in Iliade inf. pro imp. positus sit. In Odyssea enim res et fabula ipsa saepius vaticinia et praecepta suppeditabant, quam in Iliade. Hic Odysseae usus postea quoque valebat. Nam apud posteriores scriptores semper aut in vaticiniis aut in praeceptis generalibus locum habet, sensu imperativi com-

munis raro et plerumque in certis quibusdam formulis legitur.

Haec quae diximus exemplis ut comprobemus, primum de poetis gnomicis illustrissimis, deinde de vaticiniis dicendum est. Ac inter gnomicos quidem ut par est ab Hesiodo incipiamus, qui legentibus fructus offert permultos. In iis enim versibus, quibus vetustissima Graecorum de moribus de agricultura de navigando de vitae cotidianae consuetudine de diebus fastis et nefastis praecepta collata sunt (Op. et D. 336 — extr.) non minus centies infinitivus sensu imperativi adhibitus est. Imperativi leguntur perpauci neque quoad scimus amplius quatuor: 604, 611, 627, 760, nam 397 *ἐργάζευ νήπιε Πέρση* et 491 *ἐν θυμῷ δ' εὖ πάντα φυλάσσεο* non praecepta generalia sunt ad omnes homines, sed imperia ad Persam fratrem directa. In Theogonia nos infinitivum pro imperativo non invenimus. In scuto Herculis interdum legitur sensu imp. 121, 332, 335, 336, 337, sed omnibus iis locis in phrasibus ex Iliade desumptis, qui de usu ejus temporis, quo carmen de scuto Herculis scriptum est, nihil indicant. Inter eos poetas gnomicos qui post Hesiodum fuerunt, facile vetustissimus est Phocylides. Sed cum genuinae ejus poeseos nonnisi perpauca tradita sint, quod autem sub ejus nomine fertur *ποίημα νουθετικὸν* temporibus christianis compositum sit (cf. Bernhardy Gr. Lit. II. 1. 351) ex Phocylideis de historia infinitivi pro imperativo usurpati nihil est concludendum. Usurpatur autem in his carminibus toties fere imperativus ac infinitivus (quadraginta duo imperativi, triginta novem infinitivi). Sed nihil hac re demonstratur, nisi Phocylidea iis temporibus esse scripta, quibus electior et elegantior formarum usus jamjam interierat. Rarior est usus infinitivi in Theognideis. In omnibus enim Theognideis, quae fere mille et quadraginta versus amplectuntur, sex modo locis infinitivum pro imperativo invenimus 113 sq., 159, 335 (idem 401) 519 *ὥδε οἱ εἰπεῖν* de quo postea dicendum erit, 565. Itaque apud Hesiodum floret hic usus loquendi, in Theognideis fere exstinctus est. De scriptoribus Atticis vide postea.

Postquam infinitivum sensu gnomico usurpatum in Odyssea natum, in Theognideis sublatum vidimus, jam ad alterum infinitivi usum vertamur, qui est in vaticiniis. Vetustissima Graecorum vaticinia, quae apud Herodotum servata sunt, id

quod etiam ex analogia Odyssea concludendum erat, infinitivum pro imperativo habent.

I. 55. *Φεύγειν μηδὲ μένειν μηδ' αἰδεῖσθαι κακὸς εἶναι.*

IV. 165 prosa oratione *σὺ μέντοι ἥσυχος εἶναι κατελθὼν ἐς τὴν σαυτοῦ.* De oraculis Sibyllinis idem valet quod de Phocylideis. In Herodoto ipso hic usus loquendi his tantum locis invenitur V. 23 *ἐπεὰν δὲ αὐτὸν περιλάβῃς, ποιέειν ὅκως μηκέτι ἐκεῖνος ἐς Ἕλληνας ἀπίξεται* V. 105 *ὦ Ζεῦ, ἐκγενέσθαι μοι τοὺς Ἀθηναίους τίσασθαι* VII. 159 *σὺ δὲ μὴ βοηθέειν* VII, 209 *Ὦ βασιλεῦ ἐμοὶ χρᾶσθαι ὡς ἀνδρὶ ψευστῇ* VIII, 68 *εἶπαι μοι πρὸς βασιλέα* III. 155 utrum infinitivum pro imperativo positum an orationem directam subito in indirectam abiisse statuendum sit (de quo conferas Ilias *Z* 79, *P* 681) dubium est.

Scriptores classicae aetatis diligenter omnes perlegere et locos, ubi inf. pro imp. inveniatur hic enumerare non operae pretium duximus. Id tamen planum est et facile evinci potest, apud omnes eos scriptores qui dialecto Attica usi sint, hunc usum loquendi raro inveniri et cum paucis phrasibus esse conjunctum. Apud Sophoclem, ut exemplum afferram, novem locis legitur:

El. 9. *φάσκειν Μυκήνας τὰς πολυχρύσους ὁρᾶν* O. R. 462 *φάσκειν ἔμ' ἤδη μαντικῇ μηδὲν φρονεῖν* Phil. 1411 *φάσκειν δ' αὐδὴν τὴν Ηρακλέος-κλύειν* Phil. 57 *λέγειν Ἀχιλλέως παῖς* El. 213 *μὴ πόρσω φωνεῖν* Phil. 1080 *ὑμεῖς δ' ὅταν καλῶμεν ὁρμᾶσθαι ταχεῖς* O. R. 1466 *αἶν μοι μελέσθαι* O. C. 490 *ἔπειτ' ἀφέρπειν ἄστροφος* O. C. 1347 *εἰπὼν ὁποῖα ξύμφορ' ἐκπέμψαι παλιν.* In verbis dicendi, quod apud Sophoclem quinquies vidimus, alias quoque infinitivus usitatus est cf. Arist. Nub. *μή μοί γε λέγειν γνώμας μεγάλας* (quamquam hunc locum aliter explicati posse negari nequit) Hom. *P* 692 *o* 151 *π* 151 *φ* 235 *Ξ* 501 *χ* 288, Solon fr. 22 *εἰπέμεναι Κριτίῃ ξανθότριχι* etc. Theogn. 519 etc. vel ut uno verbo comprehendamus, quae de scriptoribus Atticis dicenda sunt: Apud scriptores Atticos infinitivus sensu imperativi saepius legitur in quibusdam formulis, ceteroquin raro invenitur, neque ullum sensum proprium habet, sed plane eodem sensu ac alias imperativus usurpatur.

Restat ut de casu subjecti dicatur, quod est apud infin. pro imp. In regula est nominativus cf. *τῷ μή σύ γυναικί περ ἤπιος εἶναι.* In quibusdam locis apud Hesiodum accusativus

legitur cf. O. et D. 594 sq. 750 sq., sed hic accusativus tantum ex analogia accusativi cum infinitivo positus esse videtur *).

Allatis iis locis in quibus praesertim infinitivus pro imperativo invenitur, si breviter quae invenimus collocanda sunt, hoc nostro jure nobis videmur contendere:

Infinitivus pro imperativo in Iliade proprium sensum non habuit, in Odyssea assumpsit, apud Hesiodum retinuit, apud Atticos perdidit. Unde consequitur, hunc usum loquendi ut inf. pro imperativo in vaticiniis et praeceptis usurpetur, apud Graecos esse indigenum et quasi domesticum. Si enim communis linguae indogermanicae esset, cur in Iliade non inveniretur, non esset perspiciendum. Neque aliter si linguas cognatas contulerimus, judicandum erit. In lingua sanscrita nos quidem hunc usum loquendi non invenimus, Latini non noverunt (cur, explicat Schmidt l. c. p. 65) ex lingua gothica Grimm synt. pag. 87 tres locos affert Luc. 9, 3, 1 Cor. 7, 11 (bis), in lingua theotisca vetere aut media non invenitur. Quodsi autem quis sentire velit, quid inter Graecorum et nostrum infinitivum intersit, conferat nostrum „da bleiben!“ cum loco Homeri K 65, *αἶθι μένειν*, ubi Agamemnon Menelaum fratrem dilectissimum comiter alloquitur.

Neque tamen hunc usum a se ipsa creatum diu servavit lingua graeca, sed post tempus non ita longum abjecisse demonstravimus. Hoc qui fieri potuerit, tum ut videtur clarius elucebit, si aliam rem huic loco reservatam, varietatam dico formarum infinitivi una cum hoc usu tractaverimus.

Varias infinitivi formas nos non ut alii ex una quasi omnium genetrice derivavimus sed linguam uno nisu plures formas una edidisse contendimus. Habemus igitur plures formas origine diversas idem significantes. Nihil enim praeter formam diversi esse inter infinitivos in *-μεναι -ναι -μεν -ειν* testantur loci, ubi sensu nihil variato formae mutantur cf. *βῆ δ' ἰέναι βῆ δὲ θέειν*, *εἰπέμεναι* Ξ 501, *εἴπεμεν* χ 208, *εἰπεῖν* P 692 et alia ejusmodi.

---

*) Non raro similis constructio invenitur in legibus apud oratores Atticos cf. Lysias *κατὰ Θεομνήστου* 17. Demosth. *πρὸς Λεπτίτην* 27. Sed cum plurimis locis fragmenta modo legum afferantur, utrum oratio directa an accusativus cum infinitivo a verbo quodam dicendi pendens statuendus sit, non est perspicuum. Saepe etiam subito oratio indirecta mutatur in directam cf. Demosth. *κατὰ Μειδίου* 10 (Baiter et Sauppe). Quae omnia fusius examinare, non est hujus loci.

Infinitivum pro imp. usurpatum ab initio sensu a imperativo non diversum fuisse, jam antea dictum est. Unde haec in juventute linguae ubertas, in provectiore aetate parsimonia? Qui fieri potuit, ut lingua formas a semet ipsa creatas postea abjiceret. Quaerendum est, an similia fortasse in lingua graeca aut alias inveniri possint. Et possunt quidem ut videtur non pauca. Notissimum est in vetustissimis populorum carminibus multo plures voces synonymas inveniri, quam temporibus recentioribus; aoristos reduplicatos Homeri et multos aoristos secundos dialectus Attica perdidit; dualem, qui species modo est pluralis, dialectus Aeolica, lingua latina, theotisca recentior amiserunt etc. etc. Quid multa? Historiam linguarum indogermanicarum si percurrimus, apud omnes observabimus, quod Grimmius optime et brevissime exprimit: „Sprachverfeinerung schafft nie neue formen, sondern lässt [die alten] untergehen“ (synt. pag. 139), cujus rei causam idem in libello „ueber den ursprung der sprache“ exposuit. Cum enim tres aetates linguae discernendas esse doceat, unam qua radices creentur, secundam qua flexiones efflorescant, tertiam qua ad cogitandi normam omnia dirigantur, hanc tertiam aetatem philosophicam inutilem formarum molem ferre non posse clarum est. Quodsi enim lingua procreandi vim amisit, eo magis id agit, ut quaecunque prior quaedam aetas ediderit, sapienter adhibeat. Apparet autem, duobus modis linguam inutili formarum copiae mederi potuisse; aut enim alteram formam delere, aut alio sensu implere poterat. Quod in imperativi et infinitivi formis variis utrumque fecit. In *imperativo* primum — ut vidimus — duabus formis diversum sensum addidit, in politiore lingua autem alteram plane delevit, *infinitivi* praesentis varias formas omnes exstinxit, ut unam servaret.

His quae de infinitivo pro imperativo diximus, quasi appendicem ea quae de imperativo aoristi primi medii judicamus, addere aptum videtur. Hanc formam, quippe quae ceterorum imperativorum analogiam non sequatur, maximam explicantibus difficultatem praebere conquestus est Curtius (Die bildung der tempora und modi im griech. und lat. pag. 347) et explicaturus quaedam adidit, quae ne ipsi quidem veri videntur similia. Nos hoc quoque loco, quod sexcenties in lingua graeca fieri vidimus, *infinitivum pro imperativo* positum esse credimus, ideoque infinitivum aoristi primi activi et imperativum aoristi primi medii unam eandemque esse formam statuimus. Sensum medii aut

passivi eas quoque formas assumere posse, quibus signum medii non sit insertum, in iis quae de generibus infinitivi diximus, jam est demonstratum. Igitur ne hoc quidem explicationi nostrae repugnat, quam viris doctis offerimus dijudicandum.

§. 10. *De infinitivo in quibusdam formulis absolute posito.*

Omnia quae ad hunc infinitivi usum pertinent docte collegit Reizius ad Vigerum pag. 744. Itaque nobis nihil faciendum videtur, quam ut ex hoc quaedam adscribamus. Invenitur igitur infinitivus absolute positus maxime in hujusmodi phrasibus: *ἁπλῶς εἰπεῖν*, *οὐ πολλῷ λόγῳ εἰπεῖν*, *δοκέειν ἐμοὶ*, *οὑτωσὶ μὲν ἀκοῦσαι*, *εἰκάσαι*, *τὸ δὲ νῦν εἶναι*, *τελός δ' εἶναι.* Locos scriptorum attulit Reizius. Hi infinitivi, quos attulimus, maximam partem etiam cum conjunctionibus *ὡς* et *ὥσγε* conjungi possunt cf. *ὡς ἔπος εἰπεῖν*, *ὡς ἐμοὶ δοκέειν*, *ὡς οὕτω γ' ἀκοῦσαι*, *ὥσγε οὑτωσὶ ἀκοῦσαι* etc., de quo in §. 13 dicetur.

Explicatio constructionis difficultates non habet. Apparet enim infinitivum omnibus hujusmodi locis positum esse sensu accusativi, qui dicitur graeci, qua de re conpendus est locus Pindari P. 9, 65 *Ἀρισταῖον καλεῖν*, quod apud alios scriptores esset *Ἀρισταῖον ὄνομα.* Sed non opus est, in iis quae per se clara sunt, diutius immorari. Transeamus igitur ad

§. 11. *De infinitivo epexegitico.*

Ne de hoc quidem infinitivi usu multa notanda sunt. E provectioris enim aetatis scriptoribus cum satis multa exempla attulerit Kruegerus Gr. Gr. §. 55, 3 A. 20, nobis in Homero acquiescendum videtur.

Ac apud Homerum quidem primo infinitivus finem exprimit, ita ut et ad hominis consilium et ad rei usum explicandum adhibeatur.

cf. *A* 20 *τόν ποτε οἱ Κινύρης δῶκε ξεινήιον εἶναι*
Σ 374 *Γ* 299 *E* 25, 154, 325 *Δ* 142
B 107 *Αὐτὰρ ὁ αὖτε Θυέστ' Ἀγαμέμνονι λεῖπε φορῆναι πολλῆσιν νήσοισι καὶ Ἄργεϊ παντὶ ἀνάσσειν.*

Notissimae sunt formulae *δῶκε δ' ἄγειν A* 437, 441, *B* 104 etc.
N 36 — — — *δίδω δ' ὅγε τεύχεα καλά*
Τρωσὶ φέρειν προτὶ ἄστυ μέγα κλέος ἔμμεναι αὐτῷ, cui loco adjungimus alium, ubi eodem sensu quo hic infinitivus, legitur *ἵνα.*

Ψ 234 *τὸν καὶ ἀνηρείψαντο θεοὶ Διὶ οἰνοχοεύειν*
Κάλλεος εἵνεκα οἷο, ἵν' ἀθανάτοισι μετείη

Duo loci, alter ex Homero alter ex novo testamento plane eandem formulam praebent: *O* 129 *οὔατ' ἀκουέμεν* et Matth. 13, 9 *ὁ ἔχων ὦτα ἀκούειν, ἀκουέτω.*

Saepe infinitivus non id exprimit, quod debet, sed quod potest evenire.

Δ 511, *Π* 401.

Δ 6 et *Θ* 226 *ἦ ἐν μεσσάτῳ ἔσκε γεγωνέμεν ἀμφοτέρωσε*

„ut possit vox audiri".

I. 408 *ἀνδρὸς δὲ ψύχη πάλιν ἐλθέμεν οὔτε λειστὴ*
Οὔθ' ἑλετή.

cf. Soph. O. C. 335 *οἱ δ' αὐθόμαιμοι ποῖ νεανίαι πονεῖν.*

Usum loquendi sensu etymologico aptissimum esse, per se clarum est. Satis sit, Aeschyli locum attulisse, ubi eodem sensu accusativus substantivi legitur. Agam. 225 *ἔτλα δ' οὖν | θυτὴρ γενέσθαι θυγατρὸς, γυναικοποίνων πολέμων ἀρωγόν.*

§. 12. *De accusativo cum infinitivo.*

In iis, quae de infinitivo in quibusdam formulis absolute posito et de infinitivo epexegitico diximus, cum summa modo rerum quasi capita attingere opus videretur, in constructione accusativi cum infinitivo explicanda ut diutius immoremur et usus loquendi frequentia et explicandi difficultas suadere videntur. Quae cum in ingenti exemplorum copia tum in eo posita est, quod eam quae alios quoque locos syntaxis graecae difficiliores reddidit intellectu, *vim analogiae*, in accusativo cum infinitivo praecipue regnare videmus. Nam non solum ubi per leges syntaxis licebat, sed etiam ubi non licebat, analogiae consuetudine adducti accusativum cum infinitivo Graeci posuerunt. Exemplo sit, quod saepe in enunciatione primaria accusativum cum infinitivo positum invenimus, si in enunciatione interposita modo verbum inest, a quo acc. cum inf. pendere possit. Cujus usus exempla collegerunt Hermannus ad Vig. not. 156, Matthiae Gr. Gr. §. 539, 2, nos hic quaedam afferamus. Herod. 4, 5 *Ὡς δὲ Σκύθαι λέγουσιν, νεώτατον ἁπάντων ἐθνέων εἶναι τὸ σφέτερον*

Aesch. Pers. 187. *τούτῳ στάσιν τιν' -ὡς ἐγὼ 'δοκοῦν ὁρᾶντεύχειν ἐν ἀλλήλησιν.*

Soph. Ant. 740, *ὅδ' -ὡς ἔοικε- τῇ γυναικὶ συμμαχεῖν.*

Hic infinitivi *εἶναι τεύχειν συμμαχεῖν* nullam omnino causam syntacticam habent, sed recte scribendum esset *ἐστὶν, ἔτευχον,*

συμμαχεῖ. Qui tamen factum sit, ut Graeci infinitivos praetulerint, facile est intellectu. Cum enim sexcenties vidissent, accusativum cum infinitivo verba *λέγειν εἰκέναι δοκεῖν* sequi, hic quoque verbis *λέγειν* etc. positis non potuerunt, quin acc. cum inf. cum iis conjungerent, quamvis ne in eadem quidem enunciatione essent, sed tantum prope adstarent. Eodem modo in latina quoque lingua duos construendi modos commisceri recte docuit Schmidt l. c. §. 22 extr., ubi Latinorum „diceris lapsus esse" e „dicetur te lapsum esse", et „diceris lapsus" in unum confluxisse statuit.

In iis quae attulimus syntaxin neglectam esse, ut analogia servaretur, facile intelligitur. Difficiliores sunt ii loci, ubi utrum genuina an adulterina verborum constructio statuenda sit, dubitari potest. Hoc tamen nostro jure contendere nobis videmur, tantum abesse ut ususquisque accusativus cum inf. ex semet ipso explicari possit, ut multi analogiam aliorum secuti propriam constructionis naturam plane abjecerint.

His praemonitis jam ad ipsam explicationem accedamus. Proficiscamur ab indubitatis. Legitur apud Homerum Ilias *B* 291 versus hic:

— — *οὐ γὰρ πῶς βεβλημένον ἐστὶ μάχεσθαι*, in quo quomodo acc. cum inf. sit explicandus, in dubium vocari non potest. Accusativus *βεβλημένον* ab *ἐστὶν* pendere nequit, ergo cum *μάχεσθαι* est conjungendus. *Μάχεσθαι* autem est nominativus subjecti, sicuti saepe in lingua graeca fit *). *Βεβλημένον* est is accusativus, quem grammatici latini „graecum" vocarunt, ita ut versus ad verbum vertendum esset: „Non datur actio pugnandi, quoad hominem vulneratum, i. e. si spectes hominem vulneratum.

Similia apud Homerum non raro inveniuntur cf. *B* 234.

B 291 *ἦ μὴν καὶ πόνος ἐστὶν ἀνιηθέντα νεέσθαι*

Γ 156 sq. *ε* 103, *ἀλλὰ μαλ' οὔπως ἔστι Διὸς νόον αἰγιόχοιο*
οὔτε παρεξελθεῖν ἄλλον θεόν οὔθ' ἁλιῶσαι.

Eodem modo verba impersonalia construuntur cf. *συνέβη μηδένα τῶν στρατηγῶν παρεῖναι* Xen. (quod vertendum est „es traf sich die anwesenheit bei keinem der feldherrn") deinde post

*) Cf. *K* 174 *ἦ μαλὰ λυγρὸς ὄλεθρος, ἦε βιῶναι*, Soph. Antig. 233 *τέλος γε μέντοι δεῦρ' ἐνίκησεν μολεῖν.* Mimn. 2 *αὐτίκα τεθνᾶναι βέλτιον ἢ βίοτος* etc.

ἔοικε, χρὴ, δεῖ, quamquam in verbis impersonalibus semper inquirendum est, an fortasse quaedam sensus transitivi residua remanserint, quae accusativum regant. Sed quomodocunque haec res se habet, id jure statuendum videtur:

Si constructio acc. cum inf. sequitur tertiam sing. verbi substantivi vel verbum impersonale, semper infinitivus est nominativus et accusativus infinitivi determinandi causa additur.

Idem valet de inf. post πρὶν, quando sunt nominativi et de accusativo cum inf. post ὥστε, ᾧ ἦτε ubi infinitivi sunt dativi, de quibus omnibus conferas paragraphum sequentem. Haec si comprehendamus sequitur: *Semper, ubi infinitivus nominativus est, vel a praepositione pendet, accusativus determinandi causa est additus.*

In his exemplis clarum est et indubitatum, accusativum infinitivo determinando inservire, non infinitivum accusativo, de quo aliis locis dubitari potest. E. g. in eo quod legitur apud Herodotum 6, 117.

λέγειν δὲ αὐτὸν ἤκουσα accepi eum dixisse. In hoc loco aut αὐτὸν ab ἤκουσα pendere potest, ita ut vertendum esset „audivi eum in dicendo“ (cf. ἀκούω αὐτὸν λέγοντα) aut λέγειν pendet ab ἤκουσα et αὐτὸν infinitivi determinandi causa adjungitur, ita ut vertendum esset „audivi actionem loquendi in eo“. Hunc explicandi modum tutatus est Schmidt l. c. §. 22 „Accusativus, inquit, personae *non* pendet a verbo finito, sed infinitivus *semper* accusativum determinationis causa secum habet“. Exemplum affert: λέγουσι Ξέρξεα εἶπαι et vertit „Die leute erzählen das gesagthaben am Xerxes“, plane eodem modo quo constructionem passivam Ξέρξεα λέγεται εἶπαι (quod vertit: „es wird erzählt das gesagthaben, welches sich am Xerxes befand“) explicaverat.

Ego equidem hanc Schmidtii explicationem *falsam* esse judico. Tres enim causae sunt quae obstant:

1) Notum est saepe enunciationem quae a conjunctione pendeat, eundem sensum habere, quem acc. cum inf., ita ut in ejus locum succedere possit (cf. Thuk. 8, 78 τὸν Τισσαφέρνην τάς τε ναῦς ταύτας οὐ κομίζειν, καὶ τροφὴν ὅτι οὐ ξυνεχῶς οὐδ' ἐντελῆ διδοὺς κακοῖ τὸ ναυτικόν et alia ejusmodi).

Jam si Schmidtii explicatio recta esset, ne in hujusmodi quidem enunciatis, ubi acc. cum inf. in enunc. relat. mutatur accusativus a verbo finito pendere posset, sed pendet saepe:

cf. Hom. *K* 10 *οὐδέ νύ πώ με*

ἔγνως ὡς θεὸς εἰμὶ, quod secundum Schm. esse deberet: *οὐδέ τύ πω ἔγνως το θεὸν εἶναι, ὡς ἐστὶν ἐν ἐμοὶ.* cf. Soph. Phil. 549. Aristoph. 651.

— — ὁρᾶ νῦν ὡς ἐν Αἰσώπου λόγοις
ἐστὶν λεγόμενον δή τι τὴν ἀλώπεχ', ὡς
φλαύρως ἐκοινώνησεν ἀετῷ ποτέ.

Omnibus his locis, si pro enunciatione quae pendet a conjunctione, accusativum cum inf. ponimus, id quod per leges syntaxis licet, sine ulla dubitatione statuendum est, *accusativum pendere a verbo finito.*

2) Si accusativus non a verbo finito pendet, sed ab infinitivo attrahitur, nulla est causa, cur accusativus loco moveatur, si verbum activum in passivum mutatur. At fit nominativus saepissime cf.

Xen. Cyr. 1. 2. *πατρὸς μὲν δὴ λέγεται Κῦρος γενέσθαι Καμβύστυ* Plat. R. P. 1. pag. 342. D *ὡμολόγηται ὁ ἀκριβὴς ἰατρὸς σωμάτων εἶναι ἄρχων ἀλλ' οὐ χρηματιστής.*

Nunquam accusativus posset mutari in nominativum, nisi penderet a verbo finito. Non nescimus saepe etiam in enunciatione passiva accusativum remansisse cf.

Herod. 8, 118 *Ξέρξεα λέγεται ἀκούσαντα ταῦτα εἶπαι*

Plat. Phaed. pag. 72. A. *ὁμολογεῖται δὲ καὶ ταύτῃ τοὺς ζῶντας ἐκ τῶν τεθνεώτων γεγονέναι.*

Sed haec exempla ex eo numero sunt, quae ex analogiae vi nata esse supra judicavimus.

3) Plus etiam momenti quam quae hucusque attulimus, habere nobis videtur *linguae theotiscae analogia.* In lingua theotisca inde ab Ulfila usque ad decimum seculum saepissime accusativus cum inf. legitur, quamquam temporis progressu hic usus minuitur. Exempla attulit permulta Grimm IV. pag. 115 sq. E lingua gothica:

hvana mik qithand mans visan Marc. 8, 27
τίνα με λέγουσι οἱ ἄνθρωποι εἶναι.
2 Cor. 5, 11 *ἐλπίζω πεφανερῶσθαι*, vènja uns svikunthans visan. Luc. 20, 6 galaubjand Jôhannên praufêtu visan, *πεπεισμένος ἐστιν Ἰωάννην προφήτην εἶναι.*

E lingua theotisca vetere:

Notkêr ps. 10, 7 er sih saget Kot sîn, se deum esse dicit

N. Bth. 38, weist du dih mennisken wesen, scisne te homi-

nem esse. Semel Lutherus usurpavit II. Petr. 1, 13 ich achte es billig sein. Quaeritur, utrum in his exemplis accusativus a verbo finito an ab infinitivo pendeat. Ac in lingua theotisca quidem nemo dubitare potest, quin accusativus pendeat a verbo finito. Si non penderet, deberet esse accusativus graecus. Diserte autem monet Grimm IV, 758 „Constructionen wie gr. *βοὴν ἀγαθὸς, ποδὰς ὠκύς* kennt unsere sprache ueberhaupt nicht". *Ergo sequitur, accusativum in lingua theotisca pendere a verbo finito.*

Sed quid lingua theotisca ad graecam? Num potest syntaxis graeca leges petere e theotisca? Poterit, ut videtur aliquot post annos cum scripta erit, quam valde desideramus, syntaxis comparativa. Tum enim elucebit, utrum constructionem acc. cum inf. omnibus linguis indogermanicis ab initio fuisse communem an apud singulos sponte effloruisse statuendum sit. Hodie, quoniam ne principia quidem syntaxis comparativae satis sunt constituta, lingua theotisca nihil praebet nisi analogiam. Sed ne haec quidem spernenda est. Si enim in lingua theotisca tot acc. cum inf. ita genitos esse videmus, ut accusativus a verbo finito pendeat, infinitivus ut epexegeticus addatur, quidni in alia lingua, ubi unam eandemque constructionem habemus sed de explicatione dubitamus, eundem explicandi modum sequamur?

Repetamus brevi, quae contra Schmidtium diximus.

1) Saepe accusativus a verbo finito pendet, si acc. cum inf. in enunciationem conjunctionalem mutatur.

2) Saepe accusativus fit nominativus, si verbum finitum activum in passivum mutatur.

3) Lingua theotisca eandem constructionem habet, in qua sine ulla dubitatione statuendum est, accusativum a verbo finito pendere.

His igitur ex causis Schmidtius errasse videtur. Quo refutato quid nos ipsi dicamus, jam apparuisse credimus. Contendimus enim hoc:

Si constructio acc. cum inf. sequitur verbum transitivum activum, semper accusativus pendet a verbo et infinitivus determinationis causa additus est.

Itaque Schmidtii exemplum non vertimus „Sie erzählen das gesagthaben am Xerxes", sed „sie erzählen den Xerxes dass er gesagt hat".

Huic si addimus quae antea invenimus: *„Semper, ubi infinitivus nominativus est, vel a praepositione pendet, accusativus determinationis causa est additus“*, jam de constructione in universum sequitur: Quam grammatici dicunt constructionem accusativi cum infinitivo non *una* constructio est, *sed sunt proprie duae constructiones inter se diversae*, quarum unam apte acc. cum inf. appellamus, quia acc. regit infinitivum, alteram melius infinitivum cum accusativo appellaremus, quia inf. regit accusativum.

Jam supra dictum est, non omnes accusativos cum infinitivis simpliciter esse explicandes, sed analogiae usum multa in hac constructione turbasse, quae hic quantum fieri potest, enumeranda sunt.

1) Quaedam verba, quae ceteroquin tantummodo accusativum *rei* regunt, hic habent accusativum *personae* cf. *λέγειν ἀγγέλλειν.*

2) Quaedam verba intransitiva, quae omnino accusativum non habent, hic regunt cf. *πεπεισμένος εἰμὶ* etc.

3) In passivo saepe accusativus non mutatur in nominati vum, quamvis ratio constructionis flagitet.

4) Interdum ad infinitivum absolute positum accusativus accedit cf. Herod. 7, 24 *ὡς μὲν ἐμὲ συμβαλλόμενον εὑρίσκειν.* Posset sane dici, hanc constructionem esse infinitivi cum accusativo, et verti: „quod attinet ad actionem inveniendi, quae actio est in me“. Sed tum duo accusativi graeci conjungerentur. Nam secundum §. 10 *εὑρίσκειν* quoque est acc. graecus. Itaque nobis melius videtur res explicari, si *ἐμὲ* nulla ex causa syntactica analogiae gratia additum contendimus.

5) Interdum accusativus, cujus determinandi causa infinitivus additur, plane omissus est, ita ut necessario infinitivus a verbo pendeat, qui proprie debet ab accusativo cf. Plat. Gorg. pag. 486. *Νῦν γὰρ, εἴ τις σου λαβόμενος ἢ ἄλλου ὁτουοῦν εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀπάγοι, φάσκων ἀδικεῖν* dicens te injuriam fecisse.

His consideratis omnes loci, in quibus constructio accusativi cum infinitivo inest, secundum ea quae explicationis causa contulimus, explanari posse videntur.

De genetivo et dativo cum inf. vide Matthiae §. 536 sq.

§. 13. *Infinitivus post conjunctiones positus.*

Proniminis relativi est, enunciata ita conjungere, ut posterius non pendeat a priori, sed tantum cum eo cohaereat. Itaque in omnibus linguis indogermanicis enunciatio relativa suum verbum finitum habet. In lingua graeca autem post quaedam pronomina et conjunctiones relativas non verbum finitum sed infinitivus ponitur. Afferunt grammatici haec:

ὡς ὅσον ὅτι ὥστε, ἐφ᾽ ᾧ ἐφ᾽ ᾧτε ἐφ᾽ ἕτε, πάρος πρὶν

De *ὡς ὅσον ὅτι* quia sensu sunt simillima, una dicamus. Leguntur talibus in locis, quales jam §. 10 attulimus. Repetamus inde quaedam exempla, quae demonstrent sensu non modificato infinitivum cum *ὡς ὅτι ὅσον* et sine *ὡσ ὅτι ὅσον* poni posse, maxime ex Herodoto, qui ejusmodi formulis abundat.

δοκέειν ἐμοὶ III, 135. V, 67. 69.
ὕδωρ γε ἓν πρὸς ἓν συμβαλλειν IV, 5.
οὐ πολλῷ λόγῳ εἰπεῖν
ἀλλ᾽ εἰκάσαι μὲν ἡδὸς Soph. O.

ὡς ἐμοὶ δοκέειν IV, 87. V, 58.
ὡς ἐμὲ συμβαλλόμενον εὑρίσκειν
ὡς ἔπος εἰπεῖν Plat.
ὡς σαφ᾽ εἰκάσαι O. C. 17.

δοκέειν ἐμοὶ
- *ὅσον γε μ᾽ εἰδέναι* Ar. Nub. 1254.
- *ὅτι γε μ᾽ εἰδέναι* Thuk. 6, 25.

Videmus igitur particulam modo poni modo omitti, id quod duobus modis explicari potest. Aut enim statuendum est, infinitivum conjunctione regi, ubi autem nudus infinitivus legatur, *ὡς* vel *ὅτι* vel *ὅσον* excidisse, aut infinitivum absolute semper esse positum, et conjunctiones tantummodo sensus temperandi causa esse additas. Ac priorem quidem illam explicationem teneri non posse, per se clarum est. Quomodo enim lingua politior constructionem ferret ita mutilatam? Ergo alteram sequamur necesse est. Contendimus igitur, in iis formulis quas attulimus, infinitivum conjunctionibus *ὡς ὅτι ὅσον* non regi, sed conjunctiones sensus temperandi causa esse adjunctas. Quaeritur quamnam variationem conjunctiones afferant. Ac videtur nobis quidem, quamquam multis locis ut fieri solet sensus differentia evanuit, proprius conjunctionum sensus is esse, ut vis dicti restringatur, quod de *ὡς* judicavit etiam Matthiae Gr. Gr. pag. 1071. Elucet haec conjunctionis vis maxime ex hujusmodi locis, sicuti apud Herod. 2, 135 *ἡ Ροδῶπις — μεγάλα ἐκτήσατο χρήματα, ὡς ἂν εἶναι Ροδώπιος, ἀτὰρ οὐκ ὥς γε ἐς πυραμίδα τοσαύτην ἐξικέσθαι.* Qui usus quomodo ex proprio conjunctio-

num sensu derivandus sit, facile est perspectu. ὅσον et ὅτι quid sint clarum est, ὡς ablativum singularis esse pronominis relativi neutrius generis et idem esse ac sanscr. yât docuit Kuhn (Hoefer Zeitschr. II.). Itaque ὡς proprie significat, „quomodo“ „qua ratione“. Quod igitur dicunt Graeci μέγιστος ὡς ἐμοὶ δοκεῖν, si pronomen demonstrativum cui ὡς respondet supplemus contractum est ex uberiore „οὕτως μέγιστος, ὡς μέγιστος ἐμοὶ δοκεῖν i. e. eatenus maximus appellari potest, quatenus is maximus est, qui mihi maximus esse videtur. Vel ut generaliter loquamur: Ὡς infinitivo absoluto praepositum significat loquentem non absolute dicere, sed conditionem quandam inesse in iis quae dicantur. Ex his sequitur ὡς minime regere infinitivum, sed nihil esse nisi particulam comparativam.

ὥστε apud Homerum — ubi tamen nondum plane in unam vocem coaluit (cf. *P* 133, 542, 557 δ 535) eodem modo usurpatur ac simplex ὡς *B* 474 Λ 33 Τρῶες δ' ὥστ' οἶες πολυπάμονος ἀνδρὸς ἐν αὐλῇ etc. Γ 311 etc. Ante infinitivum sensum nostri „so dass“ habere dicitur, in quo id cum ὡς commune habet, quod saepe nudus infinitivus idem significat, quod infinitivus cum ὥστε. Cf.:

I 42 εἰ δέ τοι αὐτῷ θυμὸς ἐπέσσυται ὥστε νέεσθαι
P 463 ὅτε σεύαιτο διώκειν
X 223 τὸν δὲ ἐγὼ πεπιθήσω ἐναντίβιον μαχέσασθαι
Herod. 6, 5 οὐ γὰρ ἔπειθε τοὺς Χίους ὥστε ἑαυτῷ δοῦναι νέας
Herod. 3, 14 ὦ παῖ Κύρου, τὰ μὲν οἰκήϊα ἦν μέζω κακὰ ἢ ὥστε ἀνακλαίειν. Soph. O. T. 1293 τὸ γὰρ νόσημα μεῖζον ἢ φέρειν
Soph. Ai. 786 ξυρεῖ γὰρ ἐν χρῷ τοῦτο, μὴ χαίρειν τινά, ubi schol. explicat: μέχρι βάθους δωκνεῖται τοῦτο τὸ πρᾶγμα, ὥστε μὴ χαίρειν.

Jam ex iis quae de ὡς diximus clarum est, infinitivum non regi particula ὥρτε, sed ὥστε nihil aliud significare nisi „velut“ et notionem „so dass“ in ipso infinitivo positam esse. Nam a notione „velut“ quam secundum etymologiam et Homeri usum ὥσιε habet, quomodo transitus fiat ad „ita ut“ nos quidem non videmus. Itaque εἰ δέ τοι αὐτῷ θυμὸς ἐπέσσυται ὥσιε νέεσθαν vertendum judicamus quasi legeretur „εἰ δέ τοι αὐτῷ θυμὸς ἐπέσσυται οὕτως ὅπως ἐπέσσυται νέεσθαι, si te ita impellit animus, qualis impellere solet ad proficiscendum,

aut brevius: Si animus te impellit velut ad proficiscendum, ita ut nihil sit, nisi sermo uberior pro simpliciore *ἐπέσσυται νέεσθαι*. In provectiore linguae aetate si re vera *ὥστε* pro „ita ut“ usurpatur, dicendum est Graecos, qui in tota formula *ὥστε* cum inf. notionem „ita ut“ inesse senserint, false id particulae impertiisse, quod proprie est infinitivi. Infinitivus autem cum *ὥστε* propterea illam notionem vetustiorem religiosius custodivit, quia per particulam *ὥστε* sejunctus a verbo solutior erat et liberior. Invenimus igitur de *ὡς* et *ὥστε* haec: *Ὡς* et *ὥστε* infinitivum non regunt, sed tantum infinitivo determinando inserviunt. Sensum suum autem formula *ὥστε* cum inf. non a particula sed ab ipso infinitivo traxit.

Difficilior explicatu est formula *ἐφ ᾧ*, *ἐφ' ὥτε*, *ἐφ' ἧτε* neque ad unam regulam generalem perduci posse omnia videntur. Usus loquendi notissimus est. Herod. 1, 22 *Διαλλαγὴ σφίν ἐγένετο, ἐπ' ᾧτε ξείνους ἀλλήλοις εἶναι καὶ ξυμμάχους*; *ἐφ' ᾧ* eodem sensu legitur Xen. Hist. gr. 2, 2, 20; raro invenitur *ἐφ' ἧτε* cf. Schmidt l. c. pag. 51. Si solam formam spectamus, infinitivus in *ἐφ' ᾧτε εἶναι* nihil aliud esse potest, nisi dativus, pendens ab *ἐπί*. Mirum tamen est pronomen relativum. Simplicius ut videtur et melius Graeci dixissent *ἐπὶ τῷ εἶναι*. Quaeritur cur nihilominus relativum praetulerint? Clarum est, relativum hic quoque ut alias, ortum esse ex attractione, et eodem modo quo alia ejusmodi relativa esse explicandum. Notissimus est locus apud Sophoclem.

Oed. Col. 334 — — *ἦλθον*,

Ξὺν ᾧπερ εἶχον οἰκετῶν πιστῷ μόνῳ, quod natum est ex uberiore *ἦλθον σὺν τούτῳ οἰκετῶν, ὅνπερ εἶχον μόνον πιστὸν*. Alia exempla permulta attulit Matthiae Gr. Gr. §. 473. Ut hoc loco *ᾧπερ* contractum est ex „*τούτω ὅνπερ*“, sic etiam *ἐφ' ᾧτε* contractum est ex pronomine demonstrativo et relativo. Demonstrativum est *ἐπὶ τῷδε* (cf. *ἐπὶ τοῖσδε* Herod. 7, 154.), relativum autem quamnam formam proprie habuerit, generaliter dici nequit. In locis quales Herodoti quem attulimus, *σπονδὰς ἐποιήσαντο, ἐπ' ᾧ ποιεῖν τοῦτο* conjicias ab initio dictum fuisse, *ἐπὶ τούτῳ ὅ ἐστὶ ποιεῖν*, ita ut infinitivus fuerit in nominativo. Aliter explicandus est locus qui est apud Thuk. 3, 114. *σπονδάς καὶ ξυμμαχίαν ἐποιήσαντο-ἐπὶ τοῖσδε ὥστε μήτε Ἀμπρακιώτας μετὰ Ἀκαρνάνων στρατεύειν*, ubi infinitivus non est nominativus, sed secundum ea quae de *ὥστε* diximus pendet

ab *ἐπὶ*, ut vertendum sit, „pactum fecerunt tali conditione qualis ea est, ut exirent.“ Hoc igitur cum clarum sit *ἐφ' ὥτε* contractum esse e dativo singularis pronominis demonstrativi et pronomine quodam relativo, cujus praedicatum sit infinitivus, tamen qui casus infinitivo vindicandus sit, non omni ex parte est perspicuum.

πρίν, πάρος

πρὶν contractum est e *προϊον*, itaque proprie est „prius.“ Quo fit ut saepissime apud Homerum Herodotum Atticos *ἤ* comparativum *πρὶν* sequatur (genetivus apud Pindarum P. IV, 76.). Non minus saepe tamen omittitur, eodem modo quo Latini post minus plus amplius omittunt quam, credo quia per se clarum est, quomodo sequentia cum minus etc. sint conjungenda. Si igitur *πρὶν* est comparativus, clarum est infinitivum qui sequatur ut substantivum accipi debere. Nec minns casus hujus substantivi in plano est. Sequitur enim infinitivus regulam generalem, quae est: Res comparata eundem casum habet, quem ea res quacum comparatur. Itaque *ψ* 138.

μὴ πρόσθεν κλέος εὐρύ φόνου κατὰ ἄστυ γένηται.
ἄνδρων μνηστήρων, πρὶν γ' ἡμέας ἐλθέμεν ἔξω; ἐλθέμεν

quia cum *κλέος* comparatur, est nominativus. Proprie enim deberet esse: *μὴ κλέος γένηται πρὶν ἢ ἐλθέμεν γένηται.*

Aliis locis est accusativus velut H. 481.

οὐδέ τις ἔτλη
πρὶν πιέειν πρὶν λεῖψαι ὑπερμένεϊ Κρονίωνι (und nicht wagte einer eher das trinken als das opfern). De acc. cum inf. post *πρὶν* vide §. 12.

πάρος quod Curtio videtur quandam genetivi speciem prae se ferre (Gr. Etym. I. pag. 235.) mihi nom. neutrius sing. videtur esse et respondere sanscr. puras, quod significat antea. Excidit post *πάρος ἤ* eadem ratione, qua port *πρὶν* excidisse vidimus. De casu infinitivi idem valet quod de inf. port *πρὶν*.

§. 14. *Brevis historia infinitivi graeci.*

Opere eo, quod nobis proposuimus, si non perfecto at certe finito, quae de historia infinitivi nobis oborta sunt, juvat collocare. Est autem id summi in his rebus momenti, ut sciamus quae in infinitivo graeco sint propria et quasi domestica et quae contra cum ceteris linguis indogermanicis ei sint com-

munia. Nos de hac quaestione, praesertim cum ea quae de syntaxi infinitivi dicenda essent, dissertationis modum essent excessura, alio loco agere proposuimus. Hic quae de formis infinitivi cum veri specie dici posse videantur, breviter explicemus. Ac videntur quidem constare haec:

1) *In omnibus linguis indogermanicis infinitivus est casus substantivi abstracti, ergo fuit etiam in communi omnium horum populorum lingua.*

Ann. Non credendum est, in lingua indogermanica originali infinitivum esse declinatum, non enim declinatur quoad scimus in lingua latina sanscrita slavica lithavica.

2) *In omnibus linguis indogermanicis hoc substantivum id cum verbo commune habet, quod eundem casum regit ac verbum finitum, ergo habuit etiam in lingua originali.*

Ann. Rarissime ab hoc usu linguae indogermanicae recedunt. In linguis germanicis si infinitivus ut substantivum usurpatur genetivum regit. Sed hic usus est recentior. Infinitivus germanicus ab initio erat substantivum, deinde naturam fere modalem assumpsit, tum per novam quasi creationem naturam substantivi denuo accepit.

Haec ea sunt, quae omnium linguarum indogermanicarum infinitivis sunt communia. Itaque nostro jure contendimus, talem infinitivum quoque linguam graecam a lingua communi quasi omnium procreatrice accepisse. — Dubitari potest, utrum inf. linguae indogermanicae originalis e diversis temporibus formatus fuerit necne. Unum modo neque e diversis temporibus infinitivum formatum praebent lingua lithavica slavica omnes linguae germanicae dialecti excepta scandinavica, quae paucas formas habet infinitivi praeteriti (cf. Heyne, kurze laut- und flexionslehre der altg. dial. pag. 222.). Unam formam inf. praeteriti e lingua sanscrita attulimus, de infinitivis aoristi non constat inter viros doctos. His consideratis veri videtur simillimum, si dicimus, eam linguam quam omnium linguarum indogermanicarum quasi proavam fuisse statuimus coepisse quidem formare infinitivos ex diversis temporibus, sed nondum revera et omnibus temporibus formasse.

3) *E diversis generibus infinitivus in lingua indogermanica originali non formabatur.* Non habent inf. passivi lingua sanscr. german. slav. Novam formam pepererunt lingua latina et lithavica. De graeca vide §. 7.

His constitutis facile apparet, quae infinitivi graeci sint propria. Erat infinitivus in linguae graecae primordiis casus substantivi abstracti eosdem casus regens ac verbum finitum. Hanc formam lingua graeca ita tractavit, ut unam atque certam legem semper secuta esse judicanda sit. Est autem ea lex haec:

Infinitivus naturam substantivi magis magisque amittit et naturam modi magis magisque assumit.

Ut autem naturam substantivi perderet, casualis antea erat abjicienda. Itaque ling. gr. terminationes casuum in quibusdam formis inf. abjecit, et in enunciatione infinitivum ita usurpavit, quasi nondum esset declinatus. *Infinitivum denuo declinavit.* Non multum absunt a natura substantivi inf. epexegeticus et inf. pro imperativo positus, quamquam ne hi quidem genuinam substantivi naturam retinuerunt. Inf. enim epexegeticum ita vertimus quasi sit totum enunciatum, et infinitivum pro imperativo quasi fit modus verbi.

Ad naturam autem modi appropinquatus est inf. maxime duabus rebus

1) ex omnibus verbi temporibus formabatur
2) ex variis verbi generibus formabatur.

Sed ne haec quidem sufficiunt, ut infinitivum plane in modi naturam abiisse dicamus. Sunt enim inf. cum participiis communia, quae nemo contendit esse modos. Plane autem ut modus usurpatur in constructione accusativi cum infinitivi, et praecipue in oratione obliqua, *ubi etiam cum ἂν jungitur.* In lingua graeca recentiore tandem, ubi ex ἵνα cum conjunctivo formatur nihil est nisi modus. Mutatur tamen interdum hic modus in substantivum cf. *τὸ νὰ ἀγαπᾷ τις τὴν σοφίαν εἶναι* (pro *ἐστίν*) *ἄξιον τῆς ἀνθρωπίνης φύσεως.* Mira sane fata subiit infinitivus. Ab initio erat substantivum, substantivum mutabatur in modum, modus denuo mutatur in substantivum.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I.

Syntaxis graeca grammaticam comparativam pro fundamento capiat necesse est.

II.

In verbis *ἑλεαίρω οἰκτείρω* etc. ρ ex σ ortum esse.

III.

Recte Schleicherus contendit, formas theotiscas pirumês et scrirumês aoristos esse cum s formatos.

IV.

Gigantes pro imagine mythica nubium accipiendos esse.

V.

Apollinis statuas Therae et Teneae repertas quaedam artis Aegyptiacae vestigia prae se ferre.